

UM  
RUM  
E  
EINZIA  
UM



DIVITIARUM  
EVANGELICARVM

*Disquisitio Nona*

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnafii Salani  
Rectore


*Respondente*

DAVIDE WINDREUTERO

Rochlitio Misnico

*Dominica I. post Epiphantias.*

*A. O. R. cl. lxx. iiii.*



HALLIS SAXONUM

*Prelo Hæredum Melchioris Oel-  
schlegelij.*

DIVINARUM  
EVANGELIARUM

Disquisitiones

TRIVIAE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Salani

Rectore

Respondens

DAVIDE WINDREUTERO

Rochii Alnico

Dominico J. Hoff Episcopo

S. O. R. cl. h. m.

CHALIS SAXONIAE

Apud Buchum

1717





ANALYSIS  
EVANGELII

*Dominica 1. post Epiphantias.*

*Luc. 2. à v. 41. usq. ad 52.*

*Prefamen,*

**D**E Tobia legitur, ubi in  
Mediam missus, quod mater an-  
xiè ipsum expectarit, indiesq. ad  
montes excurrerit speculatura i-  
psiq. advetum, Tob. 10: sed frustra primū, post  
modum vero, ubi reversus, ipsa & pater gavi-  
si abundanter. Geminum verè factum in peri-  
cope Evangelica, quemadmodum tota id ipsum  
demonstrat Historia.

THESIS I.

**S**iquidem in ea habetur partim de personis  
quarum recensentur Effecta: Et quidem  
L de

de Parentibus in genere, quoad occasionem principalem, quae est festi annalis frequentatio. v. 41. In quo tum effecta, quoad praedicatum; & ibant: unde pietas agnoscitur parentum & humilitas Jesuli nostri.

2. Quoad subjectum: parentes ejus: nempe Joseph & mater, quemadmodum etiam, quod notat Vatablus, quaedam exemplaria habent; Joseph quidem quatenus cura parens, Maria quatenus natura: Seu alter ob partum, alter ob obsequium meruerunt patris ac matris vocabula, uti habet Orig. Hom 9. Tom. 2. Quippe Iosephus individuus castitatis Maria custos erat Matt. 1, 24. propterea putabatur pater Iesu Luc. 3, 23.

3. Et circumstantia generaliter temporis: quotannis: non quidem simpliciter, sed accipiendum est, uti habet Aug. lib. 2. de consensu Evangelistarum c. 10. cum iam non timeretur Archelaus, antea enim erant in Aegypto.

4. Specialiter est cum loci; Hierosolymam; ibi enim erat templum Domini, ad quod tenebantur venire omnes masculi, propter commoditatem: quia quasi mundi centrum fuit. Unde Messia noticia ad alios facile etiam propagari potuit. Mulieres vero de lege non obstringebantur, uti patet ex Exod. c. 34. 23. ta-  
men

tamen Zelo pietatis se conjunxit comitere;  
quamvis, uti arbitrantur, iter fuerit 16. fere  
milliarium. Ut testaretur tum suam gratitu-  
dinem erga Deum, cum praedictum Messiam  
ad templum sanctum suum venturum, idq;  
gloria repleturum, Malach. 3, 1. Hag. 2, 8.

5. Temporis: in festo Paschæ. secundum  
Dei mandatum. Et quamvis tria solemnialu-  
deorum fuerint festa, exceptis mensuris &  
hebdomadibus: nempe festum primitiarum  
ob promulgationem legis, tabernaculorum ob  
introductionem in terram Canaan, & Pascha-  
tos sive azymorum ob liberationem ex Aegypto  
Lev. 23, 6. Deut. 16, 16. & seqq. tamen pro-  
pter habitationem remotiorem tantum festum  
Paschatos visitare tenebantur, Exod. 23, 14.  
Non tantum ut cultum divinum orando, sa-  
crificando & verbum auscultando perficerent,  
sed & pro beneficiis divinis publice gratias age-  
rent, & agnum paschalem comedendo admi-  
randam ex Aegypto eaductionem memoria re-  
colerent Exod. 12, 13. admonereturq; Christi, a-  
gni illius immaculati pro totius mundi peccatis  
in ara crucis offerendi, Hebr. 9, 10. Tandem,  
ut consensus in doctrina conservaretur, & fra-  
ternus animus aleretur; utq; sacerdotium Le-  
viticum ex oblationibus commodius sustenta-

vetur. Unde nemo vacuus coram Domino apparere audebat Exod 23, 18. Non quidem qui in manu pecuniam tantum habeat, sed qui in animo habeat etiam devotionem. Neq; enim est manus vacua muneris, inquit Rudolph. Ardens, si circa cordis est repleta bona voluntate. Ut discamus etiam festivitates celebrare Christianas, secundum Ps, 122, 1. Et quod Tertull. loquitur l. 2. adversus gentes. c. 39. coeuntes in coetum, ut Deum quasi manufacta precreatione ambiamus, haec enim vis Deo grata est. Templum typus Christi Col. 2, 9. Hierosolyma typus Ecclesiae Gal. 4, 26. Ergo adorandus Deus in Christo in Ecclesia.

6. Tum quoad adjunctam aetatem; & est annorum duodecim Iesu denotatio v. 42. In quo quaedam respectu Christi: & cum factus esset annorum 12. Secundum humanitatem, quia fuit aeternus secundum divinitatem. Ubi colligitur, etiam ante ad festa deductum fuisse; siquidem Lucas non meminit, primo id factum esse, sed, primo inibi ipsum remansisse, saltem exprimit. Secundo, quia ipsum in comitatu inter cognatos & notos, uti ante, relictum existimarunt. Fuisset enim alias insignis negligentia, si in prima statim profectioe puerum non melius observas-



servassent. Et deniq<sup>3</sup>, quia non est verisimile, prioribus annis sollicitos parentes tam charam sobolem solam domi reliquisse, praesertim inter Nazarethas tam infidos. Id quod humilitatis indicium, hominis enim est, inquit Beda super hoc Evangel. ad offerenda Deo vota concurrere. Sed ille adscendit, ut indulgentiam nobis impetraret, & Ecclesiam frequentandam esse, doceret pro donis caelestibus adipiscendis, habet Kempis Meditat. II. num. 2. ut legi satisfaceret; ut verum se Israelitam demonstraret; ut agnum paschalem confirmaret; ut occasiones innotescendi haberet, & alios suo exemplo ad ministerium divinitus institutum invitaret. Ut discamus, à primis annis pueros esse ad sacra adducendos: quia bonum est portare iugum Domini ab adolescentia Thren. 3. 27, & servire Domino in iuventute Eccl. 12. Et quidem anno duodecimo, ubi incipit ratio florere. Et innueret se eduxisse duodecim tribus de Aegypto, & electurum 12. Apostolos.

7. Respectu facti est tum causa movens: adscendentibus illis, nempe parentibus: ut denotetur comitatus & pueri obsequium. Non enim cum caeteris hinc inde discurret, sed adfuit suis parentibus, siquidem filii parentum facta ut plurimum imitantur, & parentes tenen-

zur salutem curare liberorum Deut. 6, 20.

8. Tum quoad causam impellentem: secundum consuetudinem festi. Non quod sola fuerit consuetudo, sed quia in lege mandata, & ab omnibus diligentissime observata; quemadmodum Syrus interpretatur, prout consueverant in festo. Unde & purgatio puerperarum mos dicitur Luc. 2, 27. adeoque non tam festum Paschatos, quam parentum Christi in illo festo celebrando devotio ac pietas denotatur; alias consuetudo mala, aut Scriptura contraria non probatur qualē Ecclesia non habet. Cor. II, 16.

9. In specie quoad antecedens est parentum Christi de amisso puero ignoratio v. 43. In quo factum, quoad parentes: ubi circumstantia temporis: & consummantibus dies: qua continet formam celebrationis festi Paschatos, qua consistebat in 7. dierum spatio, secundum ordinationem divinam Exod. 12. 19. Ut ostēdatur perseveratio in exercitiis cultus divini, ne perfunctorie illa tractentur, & benedictio sacerdotis Num. 6, 24. quantum potest, expectetur, quum in ea est Dei effectus Augustin.

10. Et reversionis: cum redirent ipsi: quod de parentibus intelligendum, eos ipsos sacrificiis sacris rediisse domum. Ut ita innuatur,

mirumque

utrumq; faciendum esse, nempe cultum divinum peragendum, & officium non negligendum.

11. Quoad puerum: remansit puer Iesus in Ierusalem: cuius modum mirabilem facit Orig. quasi invisibilem se reddiderit. hom. 19, in Luc. circa medium Tom. 3. quemadmodum, uti Iudei insidiabantur Luc. 4. 30. Et parentibus ipsum visum fuisse ad tempus, & ad tempus se subduxisse, opinantur; alii, quempiam in persona eius apparuisse, suspicantur. Sed causa remansionis non exprimitur, verum è facto ipso elicitur, remansisse Christum latentem parentibus insciis, ne forte disputationi cum Legis peritis peragenda impedimento essent. Latenter ergo remanet, ne aut retrahatur, aut inobediens habeatur; non casu vel oblivione, sed sua voluntate & ordinatione Patris & S. S. qui puerum per omnia dirigebat: ut à pueritia ostenderet Zelum suum circa spiritualia, habet Lyra: Et ut ostenderet, sibi eo veniendum fuisse secundum Malach. 3, 1. Non vero remansit, ut Monachatum stabiliret, sed ut voluntatem Patris adimpleret.

12. Et accidens, est parentum ignorantia; & non cognovit Ioseph & mater eius: quia Domini mos est, singularia edere opera præter spem

spem rationes ingenii humani. Si ergo quaeritur, quomodo potuerit à parentibus obliviscendo relinqui, qui tanta providentia nutrabatur? respondendum est ex seq. versu, ipsos arbitratos, morem, antea usitatum, observatum ab ipso fuisse iterum. Et ut ostendatur, Christum ut plurimum amitti ignorantia, cum in scientia sui justificet multos Es. 53, II. Et primum quidem credi debet, quod habet Greg. part. I. curæ pastoral. c. I. deinde sciri quod creditur, qui verò ea, quæ Dei sunt, nesciunt, à Domino nesciuntur.

13. Et ab effectu, eorum indagatio v. 44. In quo causa erroris: existimantes ipsum in comitatu esse: quia seorsim, quod habet Beda lib. I. in Luc. c. 8. Tom. 5. ibant in istiusmodi conventibus mulieres, seorsim etiam viri ejusdem genealogia ad servandam castitatem: liberis verò integrum erat, vel patres vel matres comitari. Unde Iosephus arbitratus, apud Mariam esse; Maria apud Iosephum; Hoc enim est synodia, uti Græci interpretantur, alias etiam denotantur illi, qui simul eandem professionem suscipiunt Act. 9, 6. Neh. 7, 5. Inde discimus, opinionem sepe decipere homines; fides verò non est opinio, non inanis persuasio, sed  $\pi\lambda\eta\rho\phi\omicron\rho\rho\iota\alpha$  Rom. 4, 21.  $\pi\epsilon\pi\omega\delta\iota\theta\eta\sigma\iota\varsigma$  Eph.

3, 12. Neque propinquorum semper commigratio optima, sed observandum, quod Bernhardus habet epist. 91. Recedant à me & à nobis qui dicunt, notamus esse meliores quam patres nostri.

14. Tum adjuncta sollicitudo ab effectu declarata; & venerunt iter dici proficiscentes domum. Ita ut per integrum diem non solliciti fuerint. Ex quo vel maxime colligitur ipsorum incuria; qua tamen excusabilis, cum per consuetudinem itineris forsitan etiam antea, uti praesumitur, factum. Imo quia occulto Dei iudicio & providentia factum ex Job. 15, vs.

15. Et requirebant eum. Unde patet, opinione deceptos fuisse, interim laudandos, quod quaesiverint, & quidem anxie, uti Syrus, reddidit, requirebant eum apud suos homines & apud unumquemque suum. Ideoque non reliquerunt volentes, & quod habet August. 1. 2. contra Fortun. non peccarunt. Idque illustratur è distributione comitum, in cognatis secundum consuetudinem quaesiverunt, & in notis, ut sollicitudo ostendatur; non vero quaesiverunt in platea, ubi magna vanitas, non in foro ubi grandis adversitas, non in taberna, ubi summa ebrietas, non in seculari curia, ubi falsitas, inquit Aug. epist. 43. ad fratres in eremo

Que-

Quærendus ergo est Christus, & quærendus sollicitè, non autem semper inter carnis propinquos, quia humana cognatio Dei filium non potest continere; non inter notos, quia major est mortali notitia, non in terrenis voluptatibus, quæ sunt carnis cognata.

16. Consequens ab effectu petitum, est tum parentum Christi Hierosolymam remigratio v. 45. In quo partim eventus: & non inveniētes ipsum: quod quàm sollicitos reddiderit, facile colligitur, ut verū illud, quod habetur Cant. 3. quæsiui quem diligit anima mea & non inveni. Ut discamus, etiam pietissimos cruci esse subjectos, id quod exempla ostendunt V. & N. T. simulq; quàm difficile sit educare liberos.

17. Partim modus: tum reversi in Ierusalem. Si igitur, inquit Kempis, benè attendis, Iesulum cito placabis, in Ierusalem inveniēs, quia in pace factus est locus eius. Ut discamus solliciti esse, nec statim desinendum, sed constanter perseverandum: simulq; reversione opus esse, si velimus invenire Christum.

18. Tum, quærentes eum. Non igitur reversi tantum dicuntur, sed eorum sollicitudo & anxietas unè innuētur. Ut discamus in operibus nostris adhibendam esse diligentiam & constantiam.

19. De filio nempe Iesulo, cuius inventionis significatio v. 46. In quo partim accidens tum temporis: & factum est post tres dies. Non quasi absoluti intelligendi, sed tertio die; primo enim die existimarunt, esse inter cognationes, altera quasi verunt inter cognatos, & tertio demum die inclusive, uti usurpatur Matth. 13, 33. & Marc. 8, 31. invenerunt; Et, quod habet Ambr. l. 2, in Luc. c. 2. post triduum reperitur, ut esset indicio, quia post triduum triumphalis passionis in sede caelesti & honore divinae fidei nostra resurrecturus sese obtulerit. Quid autem interea egerit, & unde sustentatus sit, cum Evangelista taceat, etiam nobis tacendum: verisimile est, alicuius boni viri gratiam sibi comparasse, qui & hospitium & alimentum hoc ipso triduo praebuerit.

20. Et loci: invenerunt eum in templo: non in theatro vel ludo, sicut pueri solent, sed in loco orationi & doctrina destinato. Per templum verò hoc loco, quod Chemnit. notat, schola intelligitur, id quod etiam ex sequentibus patet, quia id templum, ubi docetur & interrogatur, intelligitur, quod non ubi sacrificatum, nec ubi tantum praedicatum, verum ubi & interrogatum. Et harum scholarum plures Hierosolymis, diversis in locis, quas Medrasoch ser

*Synagogas appellarunt, exstructas fuisse, ex Actis c. 2. v. 9. & 10. & ex 6. 9. colligitur. Dru- sius notavit, ultra 40. fuisse, id quod etiam ex Nehem. 8. 4. ex Marc. 13. 9. ex Joh. 18. 20. demonstratur.*

21. *Effectus in genere à situ: sedentem. Discipulorū enim est sedere ad pedes Doctorū uti habetur Act. 22. 3. in pavimento ceu matta strato, uti refert hanc synagoga conditionem Ambros. com. in 1. Cor. 4. 31. Non ergo circumcursitandum, sed in auditorio sedendum & manendum.*

22. *In specie illustratur à subjecto occupante: in medio Doctorum. Ut melius scilicet posset omnes audire, & cum eis conferre doctrinam, inquit Lyra. Neq; enim in templo simpliciter sedet, sed in medio sedet eorum, inquit Orig. hom. 18. in Lucam, cum enim animadvertent in eo sapientiam supra ætatem, receperunt eum in medium sui, ut diligentius animadvertere possent profectum eius. Ut discamus modestà sedere & Doctores audire, ubi verbum Dei docetur ac predicatur.*

23. *Tam audientem illos. Hic enim finis fuit, quare in templo remanserit. Et prius audiendum est; ut discamus, quod si velimus interrogare, post & respondere, prius audiendum esse*



esse: sapientia prius audivis, post interrogavit,  
secundum illud Prov. 18. Eccl. 11.

24. Et interrogantem illos. Nec mirum,  
verbum enim Dei nunquam tacet, habet Aug.  
serm. 17. serm. 2. nempe de iis, de quibus doce-  
bant. Materia vero disputationis non exprimi-  
tur, sed probabile est, fuisse de Messia adventu,  
persona & officio, quia non tantum eorum, qua  
Patris sunt, mentionem facit v. 49. sed & de  
iisdem in conflictibus suis cum Iudeis disseruit  
Luc. 4, 16. Matth. 22, 41. Joh. 5, 17. Et questi-  
onibus legis, uti habet Hieron. in Epist. ad Pau-  
lum. Sic ergo discipuli modestè sedeant, at-  
tentè audiant, doctè interrogent, secundum  
versum.

Sæpe rogare, rogata tenere, retenta do-  
cere,

Hæc tria discipulum faciunt superare Ma-  
gistrum.

Quemadmodum & Euseb. testatur lib. 6,  
c. 3. Origenem puerum Patrem Leonidem de  
gravissimis Scriptura dictis interrogasse. Nec  
est contra illud Salomonis Prov. 22. 17. quod  
non sit disputandum cum Preceptoribus: quia  
non disputavit rigorosè & superciliosè, sed ut  
verus homo Magistros primo audiebat, ut ve-  
rus Deus iisdem loquentib; sublimiter respon-  
debat,

debat, habet Beda super hoc Evangel. Prius au-  
dit & interrogat quam instruit, ne parvuli a  
senioribus erudiri erubescant, & docere juve-  
nis audiat. Non autem publice docuit, nisi  
anno trigesimo, quamvis Spiritus Sanctus non  
sit alligatus ad hominis aetatem, sed sua dona  
distribuit prout vult 1. Cor. 12. 11, neq; enim  
juventus est contemnenda 1. Tim. 4, 14. Dei  
tamen virtus, Dei sapientia aeterna, ipsa ho-  
minem induta, ad audiendos homines venire  
dignata, ut nimirum hominibus, quamvis  
summo ingenio praeditis necessariam discendi  
normam prerogaret, ne si qui discipuli verita-  
tis effugeret terminos, magistri efficerentur er-  
roris. Et bene habet Beda: qui juvenis doctri-  
na subiturus, puerulus adhuc seniores audit  
& interrogat, ut scilicet eorum disputantium  
compescat audaciam, qui non solum indocti,  
sed etiam impuberes ad docendum prorumpere  
magis quam ad discendum volunt submittere.

25. De factis, occurrit iterum antece-  
dens, & est ab effectu sigillatim omnium ad-  
miratio v 47. In quo materia sive subjectum;  
stupebant autem omnes audientes eum. Et  
quidem non leviter, sed vehementer, hoc enim  
vox innuit Graeca, dum quasi extra se rapti, &  
qui

quidem non unus & alter, sed omnes, dum audiverunt sublimia Sapient 8, 12.

26. Tum causa, & est partim intelligentia. Ut nō simplex fuerit, sed singularis in summis etiam mysteriis. Quippe puer erat, & literas noverat, quas nunquam didicerat, Joh. 7, 15. interim, quum tota plenitudo divinitatis in ipso habitabat corporaliter Coloss. 2, 9. non habitualiter tantum participando, sed etiam singulariter & personaliter possidendo, admiratione dignus. Partim responsa, quae accurata fuisse, effectus denotat. De us ergo respondendum quae intelligimus.

27. Conjunctim partim est matris clemens ex postulatio v 48. In quo ansa, & quidem ab objecto: & videntes eum. Postquam enim hinc inde quaesiverant per triduum, tristati sunt vel maxime, potissimum mater cum sciverit, quis sit, id quod ex eo colligi quoque potest, quomodo affectus Iacobus, ubi amisit Iosephum Gen 37, 34. quomodo Saul, quomodo David 2, Sam. 10, 17. ita etiam, ubi viderunt eundem, iterum exhilaratos fuisse, nullum est dubium.

28. Et ab effectu: ob stupefacti sunt. Propter inopinatum & insperatum eventum, uti fieri solet in insolitis, & non tantum ob auditam

sapientiam, sed *Job* affectum paternum.

9. Et forma in genere: & ad ipsum anatem  
ejus dixit. Atq; ita non *Iosephus*, quia, uti habet  
*Lycia*, firmiter scivit, ipsum esse filium Dei, sed  
tempus ostensionis ignorabant. Mater vero ex  
nimia dilectione & acriore affectu ipsum al-  
loquitur.

30. In specie per propositionem, ubi pre-  
mittitur captatio benevolentiae, dum dixit: fi-  
li. Eo ipso enim innuit fundamentum appellatio-  
nis, cum omnino sit parentum monere. & casti-  
gare filios, secundum monitum Sipientis *Prov.*  
19, 18. *Sir* 30, 12. sed suaviter *Ecclesiast.* 6. Etia  
in castigando debet homo exhibere pietatem  
verborum *Pl.* 140. Debet uti virga, sed cum  
manna, uti habet *Gregor.* in pastorali. Et ex-  
ponitur ipsa: quid fecisti nobis sic? cum non  
deceat filios tristitia afficere parentes, aut etiam  
se subducere insciis parentibus; Primus enim  
uti habet, *Ambros.* lib. de Noe c. 3. gradus pie-  
tatis est iste, ut, quos autores tibi voluit esse De-  
us, honores obsequiis. Interim pie interrogat,  
cum sciverit, non sine causa factum; nec verbum  
amplius addidit, quia favus destillans labia e-  
jus uti habet *Glossa*.

31. Et per rationem petitam partim a re-  
latione, & ab indigno. Ecce pater tuus & ego  
Pa-

Patrem pramittit, quia caput mulieris vir est  
 Eph. 5, 23. inquit Aug. in 17. serm. 11. ut eo min9  
 superbiant cetera foemina Hald. 1. Atq; ita ho-  
 noravit ipsum Spiritus Sanctus, ait Orig. hom.  
 17. in Luc. patris vocabulo, quia nutrierat Sal-  
 vatorem.

32. Partim ab accidente mœrore: dolen-  
 tes quærebamus te. Et quidem vehementissi-  
 mum fuisse dolorem, arguit vox græca *ôduvã*  
*ôdu*, quæ cruciatum denotat; sunt enim *ôdiver*  
 dolores parturientium summi. Syrus habet *te-*  
*reph*, quod significat, quando quis pectus pertun-  
 dit & plangit super cor. Doluit verò Maria  
 1. propter puerum amissum. 2. propter seipsam &  
 3. propter populum. Sed & hic additur quod  
 quasi verint, in exemplū. 1. diligēter pede, id est  
 affectu 2. Paral. 15, 5 manu, id est opere Ps 77, 3.  
 oculo, id est in scripturis, loh. 5, 39. 2. prudēter  
 nō in terra suaviter viventiu, quia nō inveni-  
 tur Cant. 3, 1. reverenter in templo Ps. 10. At  
 quoties, inquit Kempis meditat. II. num. 4.  
 te perdo peccatis meis exigentibus, quàm tri-  
 stis incedo, cum fuero à gratia tua desortus &  
 propria paupertati sine consolatione relictus.  
 Cum gemitis ergo est quarendus, qui per disso-  
 lutionem est amissus. Sed quàm multi non que-  
 runt Jesum, nisi ut illis benefaciat secundum

M

tena-

198  
tempus! vix queritur Iesus propter Iesum, in-  
quit Aug. tract. 25. in Iohann vultu quae si ve-  
runt etiam Iesum ut Herodes & Iudaei. sed cō-  
ciderunt, quia male Iesum quae si verunt, habet  
Idem serm. 121. de tempore.

33. Et filii refutatio v. 49. In quorum  
excusatio: & dixit ad illos, quid quod quaere-  
batis me? quasi dicat, nullam justam habe-  
tis causam, quare me reprehendatis. Quae pri-  
ma sunt Iesuli nostri verba in Scripturis consi-  
gnata: unde eo diligentius annotanda, dum  
ostendunt, non praepostere parentes filios debere  
diligere, non tanta sollicitudine querere, cum  
non solum filius fuerit, sed & Dominus.

34. Partim improbatio, propter  
officium: nesciebatis, quia in his, quae Pa-  
tris sunt, oportet me esse? Quae descriptio of-  
ficii Christi Prophetici est, siquidem eum in  
finem à Patre in mundum missus erat, ut pu-  
blice doceret. Ita commonefacit matrem &  
patrem eorum, quae de persona & officio suo ex  
revelatione Angelorum, narratione pastorum,  
Magorum, Simeonis & Hanna intelligere de-  
bebant. Ideoque non potuit insipienter sapientia  
Patris aeterna aliquid agere, qui orbem disponit  
in equitate inquit Kempis dicto loco. Et cum  
Maria Iosephum patrem nominat, opponit Pa-

Patrem patri, putativo in terris cœlicum, nutritio verum, alieno proprium. Nec tamen hoc inquit Ardentius, quod eum ut filium verum vituperat, sed quasi sit verus pater insinuat: unde oportet, addit, ut ostendat, se non Politicum aliquem, sed Dominum templi esse Malach. 3, 1. & quem oportet predicari. Templum autem dicitur Patris esse, quia quorum una est maiestas & gloria, eorum etiam una est sedes Gregia sancta, inquit Beda. Et cum fuerit in schola, uti probatum, & illa templum Dei est. Ita ergo obedientia majoris tollit obedientiam minoris. Et quamvis Paulus jubeat, ut in omnibus parentibus obtemperent liberi, Colos. 3. 20. tamen in iis, quæ pietati officunt, inquit Chrysost. hom. 16. in Matth. obediendum plus Deo: si enim necessitas venerit, habet Hieron. l. 1. in cap. 10. Matthæi. ut amor parentum siue filiorum amor Dei comparetur, & utrumque servari non possit, odium in suos, pietas in Deum servanda est. Amandus quidem est generator, inquit Aug. serm. lib. 7. sed preponendus est creator. Unde & Ionathan, pie restitit Sauli parenti in persecutione Davidis innocentis 1. Sam. 19, 4. plus enim Deo parendum: Act. 4, 19.

35. Consequens de parentibus, est ipsorum

M 2

ignora-

ignoratio v. 50. In quo subjectum: & illi non intellexerunt: nempe parentes, non circumstantes; neq<sup>3</sup> solus Iosephus, cum in plurali dicatur numero: quia, quod Beda habet, non fuerunt attenti, dum vehementer gavisi. Et ignorarunt, licet non scopum, tamen circumstantias nempe utrum de templo materiali loqueretur an de mystico Origenes Hom. 20. in Lucam. Ut ostendatur rationis humane infirmitas, ne nimium in spiritualibus rationi tribuamus, sed per fidei obsequium totos nos verbo Dei subiciamus 2. Cor. 10, 5.

36. Et objectum: verbum quod locutus est illis, de prophetico scilicet ipsius officio: ubi verbum sumitur pro sententia per Ebraismum. Manet enim, quod obscuratum habeamus intellectum, Eph. 4, 18.

37. De filio, est partim obtemperatio v. 51. Vbi occurrit effectus, qui consistit in obsequendo quoad modum: & descendit cum eis. Partim quia Hierosolyma superior erat; partim quia verè descendit, dum humiliatur. Si enim ascendere desideras, inquit Bernh. in serm. de ascen. mente est ut descendas, id est, te veraciter humilies. Et totus cursus vite Christi denotatur usq<sup>3</sup> ad annum trigesimum; humanaq<sup>3</sup> veritatis est indicium, simulq<sup>3</sup> hu-  
mi-



*militatis exemplum. Cum enim parentes suos  
mysterium divinae suae majestatis nec dum ca-  
pere scivisset, inquit Beda, exhibuit humana  
humilitatis subiectionem, ut per hanc eos pau-  
latim ad divinitatis cognitionem institueret,  
qui cum arcem tanti mysterii adscendere intel-  
ligendo non possent, neq; aliter eum in his, quae  
verè Patris ejus essent, manere decernerent,  
nisi ut comprehendere nossent, descendit ille  
cum ipsis ad inferiora conversationis eorum.  
Debet verò obedientia esse 1. voluntaria, 2. pu-  
ra, 3. jucunda, 4. simplex, 5. justa, 6. festina. 7.  
firma. Melior igitur una obedientia quàm  
virtutes omnes, habet Augustin. siquidem in-  
ducit meliorationem, orationis exauditionem,  
miraculorum operationem, operum bonorum  
augmentationem: Est obedientia clavis para-  
disi, via cali ait Greg.*

38. *Et locum: venitque in Nazareth.  
Quae erat patria educationis & conceptionis.  
Noluit enim inter doctores educari, sed in pa-  
tria, ut officii ipsius autoritas, non ab humanis  
praesidiis, sed divinis penderet testimoniis: ut  
majori miraculo esset Marc. 6. 2. & Joh. 7. 15.  
interim publicam informationem consecravit  
& sanctificavit.*

39. *Obediundo: & erat subditus illis.*

M 3

Quo

Quo summa exprimitur exinanitio. Unde Sy-  
 19 ita reddidit, ut ferme diceret, erat servus eo-  
 rum, voce abad. Inde nullum est dubium, quin  
 in Oeconomia parentes iuverit, quia Marc. 6,  
 3. dicitur ὁ ἕκτος, quod significat operas ma-  
 nuarias exercere. Nō vero dixit subditus matri,  
 sed subditus eis. Consideremus ergo, quā si-  
 lialiter egerit Dominus, ut eos non solum fidem,  
 sed etiam mores doceret, inquit Ambt. 1, 2. c. 4.  
 de fide. Namq; in forma hominis constitutus  
 erat. Id vero non infirmitatis, sed pietatis est.  
 Disce ergo, homo, obedire | disce, terra, subdita  
 esse, habet Bernh. hom. super Missus est.  
 Disce pulvis obtemperare: Deus se humiliat, &  
 tu te exaltas? Deus se hominibus subdit, & tu  
 dominari gestiens tu te preponis Autori?  
 Hinc, addit Ardens, fratres discamus subdi  
 Deo, subdi parentibus, & etiam cuiuslibet perso-  
 nae propter Deum: quoties enim alii subdi con-  
 temnimus, toties exemplo & præcepto Christi  
 contraimus. & Diaboli superbiam imitamur.  
 Non vero debuit parentibus obedientiam ut fi-  
 lius Adæ, ac si nihil nobis meruisset, cum sit Do-  
 minus præcepti Matth. 12, 8. Sed hæc obedientia  
 ad Christi pertinebat officium, cum sit nostra  
 justificatio Rom. 5, 18. Potissimum autē liberi 1.  
 corporaliter servire, 2. corde diligere, 3. reve-  
 renter

reter responderere, 4. obedire in licitis, orationibus subvenire parentibus debent.

40. Eventus: mater verò ipsius conservabat hos omnes sermones in corde suo. Vbi intelliguntur verba & facta, ut ostendatur Maria studium: quamvis enim non intellexerit, tamen probè omnia gesta observavit, & quidem, quod innuit vox Græca, diligenter. Imitemur; addit Beda, piam Domini matrem ipsi quoq; omnia verba ac facta Domini & Salvatoris nostri fixa in corde conservando, horum meditatione diurna & nocturna importunos in animum nocentium cogitationum repellamus incursum: quia auditor similis esse debet animalibus, quæ ob hoc, quod ruminant, munda esse dicuntur Deut. 14. 6. Et non pigeat cogitare de iis, quæ in alvo cor accepit, & cum audit sit similis edenti, cum verò auditum in memoriam revocat, sit similis ruminanti, inquit Aug. in Psalm. 141.

41. Partim de profectu Christi narratio 7. 52. In quo subjectum: & Iesus: De eo enim tota est historia, igitur primarium subjectum.

42. Prædicatum in genere ab accidente qualitate interna proficiebat: Partim quoad manifestationem, ut putarunt homines, secundum Athanas. serm. 4. advers. Arianos

Hilar. lib. 9. Trinit. Cyril. lib. 10. Thesaur. c. 7. Hieronym. in c. 7. Esaiæ, & 35. Jeremiæ Damas. l. 3. orth. Fid. c. 22. *Vel, ut Ardentius loquitur, proficiebat non sibi, sed aliis, dum paulatim hominibus sapientiam declaravit, hocq; suo humano profectu omnibus nostris profectibus benedixit, uti habet Cyril. lib. 1. in Joh. c. 17.*

43. *In specie distinctim, quoad animum: Sapientia. At si plena est, inquit, gloria ejus sapientia & veritatis, quomodo sapientia profecisse scribitur? quia non sapientiam ipsam in quantum est sapientia, sed humanam naturam profecisse intelligitur, inquit Cyril. l. 10. thesauri c. 7.*

44. *Quoad corpus: & statura seu ætate. Uti & staturam nominat Syrus. Nam etsi Adamus primus mox perfecta crederetur statura, Christus tamen corpore paulatim crescente, per omnes ætates est progressus: partim ideo, quod omnes ætates erat sanctificaturus, juxta Irenæum adversus Hæreticos l. 2. c. 39. ut sit magister perfectus in omnibus. Nec tamen exinde sequitur, ipsum ubiq; non fuisse: profecit enim statura secundum corpus in statu exinanitionis; ubiq; est in λογω secundum unionem personalem. Et constat ex literis Lentuli ad senat.*

nat. Rom. staturam Christi fuisse absolutam  
trium ulnarum longitudine, demta duorum  
digitorum latitudine, qualis nulli mortalium  
competit.

45. Coniunctim denotatur; & gratia.  
Que vox accipi potest tam activè pro qualita-  
tib9 & donis à Spiritu sancto collatis, sicut Eph.  
4.7. Rom. 12.3. innuitur, quàm passive, quod  
indies gratiosior & acceptior redditus.

46. Et declaratur: apud Deum. In quan-  
tum ad eius laudem & gloriam, sapientiam &  
gratiam, quam in eo cognovere, retulerunt, in-  
quit Beda.

47. Et apud homines. In quantum ipsi  
eius sapientiam gratiamq; potuerunt cognosce-  
re, dum sapientia & gratia data ut Deus, habet  
Cyrill. de incarnat. Unigeniti. Ut discamus,  
nobis quoq; ita proficiendum esse; nolle enim  
proficere, nihil est nisi deficere, habet Bernh.  
epist. 253. ad Abbatem Garinum.

---

## NOTÆ.

### I.

**A**scendisse parentes ) considera, pa-  
rentes ad sacra conscendisse: ut discas  
mente, si vis sacra tractare, non descendere,  
sed ascendere.

R.

## II.

**R**emansit) considera Christum citra voluntatem & scientiam parentum remansisse in templo: ut discas Deum & sacra præferre omnibus.

## III.

**S**edentem in medio & audientem & respondentem) considera Christum sedisse modeste, auscultasse fideliter, & interrogasse humiliter; ut discas si vis proficere, æq; sedere in auditorio, audire doctores, & interrogare de obscuris eosdem.

An filii in omnibus teneantur obedire parentibus?

**P**aulli est expressum monitum Coloss. 3, 30. filii obedite parentibus vestris per omnia, hoc enim placitum est Domino. Etiam jura volunt, quod persona parentum filio semper sancta, atq; honesta esse debeat, l. liberto. 9. ff. de obseq. patr. & var. l. velut. ff. de l. & l. Et Blossus Gracchi amicus dixit: si pater incendere capitolium juberet; se quidem nec hoc detrectaturum, Valer. l. 4. c. 7. Patris enim jussa non potest filius detrectare Tac. 3. Annal. Sed tamen,  
 que-

quacunq; facta laedunt pietatem, existima-  
 tionem & bonos mores, illa nec facere nos  
 posse credendum est, l. filius 15. ff. de con-  
 dit institut & l. 28. ff. de R. l. Novell. 83.  
 & l. 79. ff. Jure dotium. Arist. 3, Ethic, c. 1  
 Seneca 1, c. 1. Unde christus ipse, si quid  
 contra Deum mandent, odisse jubet patrem  
 & matrem Luc. 14, 26. ne ambulent in vi-  
 is patrum Ezech. 20, 18. Quod & ipse ex-  
 emplo fecit, dum dixit: se debere esse in iis,  
 quae sunt patris. Augustin. in ps. 70 con-  
 in ea re sola filius non debet obedire patri,  
 si quid jusserit contra Dominum Deum ipsi-  
 us: neq; enim debet irasci pater, quando ei  
 sic preponitur Deus. Vbi enim jubet hoc pa-  
 ter, quod contra Dominum non sit audien-  
 endus est, quomodo Deus, quia obedire pa-  
 tri jussit Deus. Hieronymus ad Helio-  
 dorum: licet sparso crine, scissis vestibus u-  
 bera, quibus te nutrierat mater ostendat:  
 licet in limine pater iaceat, percalcatum  
 perge patrem siccis oculis ad vexilla cruci  
 erecta: solum pietatis genus est in hoc esse  
 crudelem. Inde tamen non colligendum de-  
 serendos esse parentes & non alendos, quia  
 contrarium habeturi. Tim. 5, 4. Prov. 20.

17. *Etiam in rebus adiaphoris naturâ sua non tenentur, sed modeste tamen, non affectate declinare debent. Bald. c. 6. lib. 4 c. 1. Interim non deneganda obedientia, uti Christus etiam suo hoc docuit exemplo. Quae in contrarium allegata explicantur ab ipsis. Nam per omnia intelliguntur in Domino, id est, quae grata Domino Eph. 6. 1. Eatenus etiam iura intelliguntur. Blassi factum magis arguit obedientiam quam pietatem: ideoque notandum, non imitandum. Sic etiam illud, quod habetur Deut. 33. 9. non agit de honore parentibus debito, sed de iussibus divinis, in quibus plus Deo obediendum quam hominibus Act. 4. 19. uti et illud, quod habetur Matt. 10. 37. parentum honori Dei cultum prevalere debere docet Arnis. in prælect. polit. c. 4. s. 5.*

---

An liberet à patria potestate professio  
Religionis?

**D**iscrepant Doctores. Et videtur affirmativa verior: quia in hoc in Evangelio Christus respondit, dum in templo mansit, se oportuisse esse in iis, quae sunt Patris

tris



tris. 2. Et est preferendus utiq; Deus ipsis  
 parentibus, uti in precedente questione as-  
 seritur, 3. Jura volunt expresse; ut, si quis in  
 parentum potestate constitutus elegerit  
 se clero sociare, & reliquum vite tempus  
 sanctimonialiter vivere, non liceat paren-  
 tibus eundem abstrahere l. 56. §. 1. C. de  
 Episcopis & Clericis. Unde & 4. Mona-  
 chi liberantur à patria potestate; ut qui pa-  
 trem nanciscuntur, dum monasterium in-  
 grediuntur; nemo autem naturaliter & le-  
 gitime duos potest habere patres c. mo-  
 nach, c. cum ad monasterium t. t. de  
 statu Monachorum. 5. Olim flamines,  
 diales & virgines Vesta aequè liberabantur  
 Tac. 4. annal. Ulpian. in fragm. t. 10. in  
 fine Novell. 6. 6. in fine. Ita Gram-  
 mat. decis 54. num. 6. & 12. Mynsiger.  
 Costal. in l. his nulla ff. de judiciis. Fa-  
 chin l. 6. controv. c. 12. Bocer. enun-  
 ciat. 12. clas. 4. Forsterus disp. 3. th. 28.  
 Gilkenius tract. de præscription. part:  
 3. c. 3. num. 53. Verùm cum quartum  
 præceptum ita sit sanctum, ut nullam, nisi  
 si quid contra Deum, exceptionem patis-  
 tur, omninò religiosè observandum. Secun-  
 do

do, contrariatur. Marci. 7, 13. ubi asseritur  
quod per tales devotiones verbum Dei tol-  
latur. Tertio, jura hunc modum solvende  
potestatis patria ignorant. At quod in ju-  
re non dispositum, illud non est concessum.  
Unde, quarto, nec Doctoralis dignitas libe-  
rat à patria potestate ex l. 1. § 3. in medio  
ff. de postulando. neq; etiam militaris ex  
l. 7. C. de patr. potest. Addatur Hering  
tract: de fide iussoribus, c. 7. num. 124.  
& Jason l. 8. ff. de his qui sui vel alieni  
juris, num. ultimo. Argumenta contra-  
ria hoc non concludunt; nam licet Christus  
dixerit se ipsum oportuisse esse in iis, quae Pa-  
tris (sub potestate enim paterna Josephi  
quidem ratione generationis non fuit) re-  
spexit Patrem caelestem; & tamen uti in  
subsequentibus expressè habetur, descendit  
cum parentibus, usq; subditus mansit usq;  
ad tempus vocationis. 2. Praferendus qui-  
dem est Deus, si aliquid parentes suadeant  
contra Deum: at qui hoc contra Deum non  
est, obedire parentibus quoad professionem  
& vocationem. Parentes enim tamquam  
seniores presumuntur prudentiores. 3.  
Quod jura disponunt, intelligendum de  
ma =

majorennibus partim, partim de iis paren-  
 tibus, qui preposterè abstrahere conantur  
 à sacris officiis liberos. Nec tamen asserunt,  
 quod simpliciter propterea non maneat  
 sub patria potestate, nam uxor in patris &  
 mariti Eneuk. priv. i. c. 12. n. 12. sic spec.  
 in l. evenit. ff. de allu. judex esse potest,  
 & in patris potestate tamē l. cum prætor  
 in fin. ff. de judiciis. Tiraquel. de Nob.  
 c. 28. n. 11. Quod Monachos concernit, non  
 liberantur à patria potestate, quia nulla le-  
 ge probatur: siquidem qui vivo patre pa-  
 tria potestate egreditur minimam capitis  
 deminutionem patitur l. liberos 3. § 1. ff.  
 de c. deminut. Monachismus autem non  
 est capitis deminutio, uti eleganter demon-  
 strat Cujac. in expos. No. de Monachis  
 5. & in Parat. C. de emancipat. Boc.  
 decisione 121. Unde & filius, si fiat sacer-  
 dos vel alius Clericus non fit sui Juris, sed  
 sub patria potestate nihilominus manet. Ja-  
 son dicto loco, Cardinalis. Tusco tom  
 6. practicarum conclus. litera p. concl.  
 132. n. 6. & 12. Eneuk tract. de priv. pa-  
 rentū, privil. i. c. 9. n. 10. Interim si fili gmo-  
 deste perat, aliosq; etiā adhibeat, facile cō-  
 sen-

*sensum parentis impetrabit in rebus honestis. Arod. de juro patrio.*

*An filius matri subjectus sit?*

**S**criptura hic quidem non distinguere videtur: dum <sup>1.</sup> utrumq; iubet honorare, utriq; obedire. <sup>2.</sup> Iura potestatem equalem concedunt l. contra 7 C. de testam. mand. l. 2. c. de quaest. l. 6. ff. de in jus voc. c. 2. & c. quicumq; 20. q. 1. c. si in qualibet & ibi Glos. 20. q. 2. unde & ipsa necessitate cogere videri potest, uti argumetur Boninc. de priv. paup. speci 5. in cōtr. n. 6.

Interim nec Scriptura omnino aequat potestatem patris & matris. Nec iura, quae ostendunt matrem non habere liberos in sua potestate l. mulierum C. de adopt. § foeminae l. 4. ff. de curator. Iuris. Causa est, quia potestas est magni iudicii & praesudicii: mulierum vero est impar, dum pleraq; adversus propria commoda laborant l. 4. C. de sponsal. & ipsa magna fragilitas est iudicii. 2. ff. ad Vellei l. 21. ff. ad jul. de adult. Nec possidere intelligitur, qui ipse possidetur l. hon. 45. ult. ff. de acquir. Re domi l. 10. § II. l. 18. ff. de iure fisci. etiam carum conditio deterior l. 9. ff. de stat. hom. Vid. porro Eneke, de priv. parent. priv. i. c. 5. n. 10. Argumenta contraria loquuntur de pietate, & observantia, reverentia & obsequio naturali, non de potestate civili.



**V**entus eques: super hunc equitat Deus; o-  
mania ventis

Tradit, gaudet equis qui puer esse solet.  
Non talis Iesus duodena quando profectus  
Messe, Sionæis stant ubi templa jugis.  
Is Solyomis mansit: nec cognovere parentes:  
Solliciti quærun, nec reperire queunt.  
Post triduum tamen invenere sedentem  
Inter doctores, quos rogat omne sophos.  
Et super hunc magno percussus quisque ti-  
more,

Dum responsa sacro numine plena dabat.  
Ut videt, obstupuit mater, quæ farier inquit:  
Fili fecisti cur, rogo, tale tuis?  
Ah pater ah ego quomodo te quærivimus!  
ah Te

Vndiq; scrutati per loca cuncta via.  
Is contra: quid? qui me quærivistis? an estis  
Ignari? quod in his quæ Patris esse decet.  
Neuter at hæc intellexit: sed mente reposta  
Verba manet matri, dememinisse nequit.  
Post Nasarethæas jussus descendit ad ædes,  
Parentemq; piè curat uterq; parens.

Ejus

Ejus agunt anni robur, sapientia mentem  
Dicit, & est homini gravior, estq; Deo.  
Sic IESV, quando crucis abscondere periculis,  
Fac, Te cum quaero, Te reperire queam.  
Hæc VVINDREVERTVS repetit modo.  
Pergat at idem!

*Ventus equus poterit clarior esse Deo.*

GUEINZIUS.

Sonnet.

**D**es Adlers edle zucht / die zwar noch schwach an  
Füßlen?

Schau dennoch unverwandt in ihre Sonne nein:  
Was zährte Jugend wehrt / bringt reife Tugend ein /  
In fall sie künfftig auch will mit dem blitze spielen.

So auch ein junger Baum / so schöne frucht will ziele /  
Pfllegt in den Lenzten sercks an Blüthen schön zu seyn.  
Was künfftig in der Welt will hegen hebelt seckeln

Das lesse den Himme's Sieg bald in der Jugend sthülē  
Schau unsern Heiland an / sein zweymal sechsstes Jahr  
Das stellt zu wunder sich im göldnen Tempel dar.

Die klugheit selbst erstarrt: und schreyt sie sey getroffen.  
Du auch / mein werther Freund / du wunderst dich  
mit ihr /

Und selst durch dieses thun dein Adlers arth uns für  
Und machst das wir von dir auch reife Früchte hoffen.

überschicket

von

Melchior Schirmern.



02 A 572  
(1/2)

ULB Halle 3  
003 808 483



1017

EVANG.


CHRIST

HALL

Q2 C







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------

VITIARUM  
 MELICARVM  
*quisitio Nona*  
 RÆSIDE  
 NO GUEINZIO  
 nasii Salani  
 Rectore  
*condente,*  
 WINDREUTERO  
*quisitio Misnico*  
*post Epiphanias.*  
*cl. lxx. iiii.*  
 SAXONUM  
*in Melchioris Oel-*  
*legely.*

